UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Jncipiens ab Anno Redemptoris DCC.XIV. perducitur vsq[ue] ad Annum DCCC.XLII. quo & orta hoc sæculo in Oriente, debellata est penitus Iconoclastia; vt planè qui Tomum hunc Panopliam dixerit aduersus impios Iconoclastas, veritatis scopum attinget, Continet annos C.XXVIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 750. Zachariae Pap. Annus 9. Const. Copr. Imp. Annus 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15233

Visual Library

veritati. Hac damnatiſſime pater, columna & firmamentum verita-tis, vt certum omnibus patribus & fratribus, atq; vniuerſæ Eccleſiæ contentiosè ſimus obſecramus verbisq; lenis & placidus rogetur illuſtriſſimus pater noſter & dominus Abbas Anaſtaſius pij monaſterij diuini Patris noſtri Euthymij antiſtes, vt huiuſmodi contentionis finem imponat, ac nobiſcum diuino afflatu correptorum Patrum veſtigijs hærens, Sanctus Deus ac pater dicat, Sanctus fortis Filius Dei incarnatus & carne ſaluti noſtræ causâ crucifixus, Sanctus immortalis Spiritus ſanctus, vnus Dominus Sabaoth, miſerere nobis.

Neque nos accuſet; nec per beatum Patriarcham Ioannem, vt qui certum & perſuaſum habeamus de vna duntaxat diuina perſona ter ſanctum hymnum dicendum eſſe: nam quiſquis hoc ſentit & profitetur, ſordidæ Gnaphei ſtultitiæ ſocium ſe prabet. Quis enim mentem Ioannis Patriarchæ melius me nouit? Nemo profectò, quippe qui (vt verè loquar) nunquàm vllam ſpiritualem doctrinam effluxit, quam mihi vt diſcipulo non communicarit. Quid autem eſt, quamobrem viuente & loquente ſacroſancto viro, hæc nunc demùm de ipſo dicta ſunt? Nihil ſanè hæc aliud ſunt quàm prætextum quodam atq; obtentus nihil firmi habentes. Deſinant homines diuino zelo præditi, quiq; rectæ doctrinæ ignem ſpirauit, obtrectare laudatiſſimo inquam Ioanni, qui omnem vocum inanitatem exterminauit ac de medio ſuſtulit, vt qui Theologiã cum ſanctis Patribus ſemper communem habuerit. Quin potiùs ipſius zelum amplectitur, atq; vt ſacrum & luculenti nominis virum laudibus cum efficiant. hæc Damaſcenus de Ioanne Hieroſolymitano Patriarcha: qui quando, quantumve ſederit, interruptâ occaſione eam obtinentium barbarorum, ſerie ſanctæ ciuitatis Epiſcoporum, certum quid affirmari nõ poſſe videtur. Satis autem patet hoc vixiſſe ſæculo, cùm ſe eius diſcipulum fuiſſe idem Ioannes Damaſcenus affirmet. Sic igitur Ioannis Damaſceni opera antequàm hæreſis vulgaretur, extinguitur. At de his ſatis.

IV. Quod ſpectat ad res in Germania geſtas, quæ in ea oſtenderit ſigna Deus, cùm Regni habenas Pipinus Princeps maximè pius moderaretur, & quã hoc eodẽ anno victoriam de hoſtibus obtinuerit, enarremus. Vir ſanctus iſta ſcribit, & ſui temporis geſtas ſcriptâ epiſtolâ proſequitur. a

Fuit iſte Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis, qui ad Riſfridum Traiectenſem Epiſcopũ de miraculis S. Suuiberti Epiſcopi epiſtolam ſcripſit. Et cùm alia plura quæ ad res geſtas ſui temporis ſpectant de Friſiorum apoſtaſia, & Marcellini prædicatione narret, poſteà iſta ſubijcit, quæ ad præſentem annum ſpectant.

Cumque vt idem egregius Princeps Pipinus anno ſequenti, anno ſcilicet Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, Saxones & VVeſphalos debellans, potitusq; victoriâ cum triumpho cum ſuo exercitu multùm laſſo ad Coloniam Agrippinam reditum maturaret. VVeſphali verò dolentes Christianos eis dominari (licèt Deo auxiliante, triumphali gladio ipſius Pipini victi, profligati, & proſtrati ſuccubuiſſent) indignati valdè, exercitum fortem nimis feſtinanter denuò congregantes, per compendia itinerum & deuia exercitum Chriſtianorum præuenientes, poſitis inſidijs multùm ſubtiliter & callidè propè VVerdam Pipinum cum ſuis Chriſticolis animo inuadere, & bellum rurſus inſtaurare & committere decreuerunt.

V. *Quod inclytus Princeps per ſuos exploratores percipiens; primò parùm doluit, tum propter laſſitudinem exercitus ſui, tum propter defunctos & ſauciatos: fiduciam tamen firmam habens in Deum, recordatusq; miraculorum ſanctiſſimi Suuiberti, deſcendens de caballo ſuo, proſtratus in terram flexis genibus ſanctum Suuibertum deuotâ mente inuocans, & auxilium & patrocinium implorans vouit Deo & ipſi ſancto Suuiberto, quòd ſi is pro honore nominis Chriſtiani, à Chriſto ſibi & exercitui ſuo, ſuis meritis & precibus victoriam contra paganos impetraret, & Chriſtianum populum protegeret, vt ſanũ inde reduceret: ipſum in VVerda cum ſuis primatibus ſuppliciter peregrè viſitaret.*

VI. *Quo emiſſo voto, ſtatim lux immenſa ſuper exercitum Chriſtianorum ſplendens, non ſolùm paganos exterruit, ſed & ferè excæcauit, pauorq; ingens eos inuaſit. Quod cernentes pagani timore valdè perculſi formidantes manum omnipotentis Dei Chriſtianorum ſuper eos ſæuire, cælumq; ſuper eos ruere, conſilio celeriter inito, miſerunt duos Satrapas ad Pipinum, petentes quæ ſunt pacis, ſeq; ſubdentes, ac referentes conſtanti animo quæ viderant, & eis contigerant. Pipinus verò cùm hoc audiſſet, intelligens hoc meritis S. Suuiberti accidiſſe, lætus in terram cum ſuis proceribus proſtratus, Deum adorans, & gratias deuotè referens, receptis à paganis pacis obſidibus, VVerdam cum ſuo exercitu humiliter intrauit, diſcalceatusq; cum ſuis inclytis primoribus & præcipuè miniſtris ſepulchrum ſancti Suuiberti regalibus muneribus & oblationibus viſitans, benedixit Deum & S. Suuibertum, qui abſq; effuſione ſanguinis humani victoriam ſibi contra perfidos præſtitiſſet: & deinceps ſanctum Suuibertum in ſuum protectorem & patronum ac ſpecialem elegit aduocatum.* hactenus Ludgerus de rebus geſtis Pipini Principis iſto anno.

IESV CHRISTI
Annus 750.

ZACHARIAE PAP. Annus 9. CONST. COPRO. IMP. Annus 10.

ANNVS Redemptoris ſeptingenteſimus quinquageſimus, Indictione tertiâ inſcriptus in Faſtis habetur, quo nouis tumultibus exagitatur Italia: Neſcitur enim quâ occaſione pacificus atque religioſus Rex Longobardorum Rachis, nullâ habitâ ratione pacis vicenalis ſancitæ cum Romano Pontifice Zacharia, Pentapolitanam inuadens prouinciam, ferro & igne omnia turbans, Peruſiam vſque perrexit, vt vallatam obſidione ciuitatem caperet. Permiſit Deus Regem iuſtitiæ atq; religionis amantiſſimum ita delinquere, vt ex pœnitentia in ſublimiorem in cœlis gradum gloriæ ſublimaret. Quomodo autem acciderint iſta, ex Anaſtaſio Bibliothecario in medium adducimus, qui ait: I. RACHIS INSVRGIT IN CIVITATES ROMANAS.

Ipſis itẽm temporibus Rachis Longobardorum Rex ad capiendam ciuitatem Peruſinam ſicut cætera Pentapolis oppida vehementi profectus eſt cum indignatione, quã & circumdans fortiter expugnabat. Hoc audiens ſanctiſſimus Papa Zacharias, cum omni ſpe diuinâ fretus, aſſumptis aliquãtis ex ſuo clero optimatibus, quantocyus ad eamdem peruenit ciuitatem, impenſisq; eidem Regi pluribus muneribus, atq; oppidò eum deprecans, opitulante Domino, obſidionem ipſius ciuitatis amouit. Cui & ſalutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum eius ad ſpiritualẽ ſtudium inclinare.

Et poſt aliquantos dies idem Rachis Rex relinquens regalem dignitatem deuotè cum vxore & filia ad beati Principis Apoſtolorum conuenit limina. Acceptaq; à præfato ſanctiſſimo Papa oratione, clericus effectus, monachico indutus eſt habitu cum vxore & filia. hæc Anaſtaſius. Eadem & Leo Oſtienſis qui & hæc addit b: *Moxq; ad hoc S. Benedicti monaſterium, eodem Apoſtolico iubente perueniens, ac ſub regulari magiſterio ſe inſtituendum tradens, poſt aliquot in ſancto religionis propoſito, ac Deo placitâ conuerſatione peractos annos, Deo ſpiritũ reddidit. Extat hodieq; propè monaſterium vinea quæ Rachiſſa appellatur, quòd ipſam Rachis ipſe & plantaſſe & coluiſſe putetur. Eius verò vxor Theſia, & filia Ratrudã, permittente & adiuuante ipſo Abbate, monaſterium puellarum, haud longè à Caſino in loco qui Plumbariola dicitur, proprijs ſumptibus conſtruxerunt, multa dotantes rebus; vbi ſub magna cautela ac diſtrictione regulari vitam ducentes, in ſancto propoſito vitam finierunt.* hucuſque Leo. II. RACHIS REX LONGOBARDORVM FIT MONACHVS. b Leo Oſtien. Chron. Caſin. c. 8.

Vidiſti, & admiratus es potentiam Crucis Chriſti, quæ furentes mitiget Reges, & victores ducat abſque armis ſub iugo captiuos, & faciat agri Dominici fideliſſimos eſſe colonos? hæc planè virga illa, de qua propheticè dictum: c *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* quã Zacharias Pontifex illud renouat antiquum ſpectaculum d Banaiæ filij Ioiadæ, cùm Ægyptium haſtâ potentem virgâ tantummodò ſuperauit. III. c Pſal. 109. d 2. Re. 23.

Succeſſit autem hoc anno Rachiſi in Longobardorum Regno Aiſtulphus eius frater, conſenſu Principum Longobardorum. Etenim cùm Leo Oſtienſis, & alij referãt, Rachiſim annos quinque, & ſex menſes regnaſſe, vſque in hunc vſque annum propagaſſe Regnum apparet. Porrò de Aiſtulpho dicemus inferiùs. AISTVLPHVS REX LONGOBARDORVM.

Hic modò haud abſimile exemplum de contemptu

mundi,

mundi, quod de alio Rege ſcriptum legimus iiſdem temporibus accidiſſe, ſubijciẽdum putamus, quod nobilis Lucenſis Eccleſiæ monumenta conſeruant his ipſis verbis inſcriptum:

IV. [a] *Epitaphium S. Richardi Regis Angliæ ſculptum in ciuitate Lucæ Italiæ, vbi requieſcit.*

a Apud Surium 7. Feb. tom. 1.

DE S. RICHARDO REGE.

Soror Offonis Regis fuit mater beati Richardi. Beatus Richardus Rex Angliæ, exul patriæ, ſpretor mundi, contemptor ſui, pater ſanctorum fratrum VVilebaldi & VVinibaldi, & beatæ VValburgis virginis, terrenũ regnum in cæleſte mutauit. Depoſuit coronam regiam pro vita perpetua. Exuit purpuram, & vilem induit tunicam. Regium reliquit tribunal, & ſanctorum quæſiuit Limina. Dimiſit ſceptrum, & accepit baculum. Dimiſitq; filiam ſuam in Regno beatam VValburgam, atque ſimul cum filijs peregrè profectus eſt. Et eis relictis apud ſanctum Bonifacium Martyrem glorioſum, tunc Archiepiſcopum Moguntinenſem, virum miræ ſanctitatis, eò quòd Anglicus eſſet de Regno ſuo natus: idem ſanctus exilio ſe vlteriori, [*] Limina ſanctorum trans Alpes adijt. Et loca deinceps magis deuia petijt ſolitudinum, Deo ſoli idem ſolus liberè vacaturus. Deinde poſt longa exilia, poſt multa certamina, poſt famis, ſitis, & frigoris multimodas ærumnas, in prouincia Italiæ, ciuitate Lucæ finitur pugna, dantur præmia, cœlo recipitur anima, & in beati Frigdiani baſilica iuxta corpus eius ponuntur piæ membra. Vbi & miraculis coruſcat, cuius feſtiuitas ſeptimo Idus Februarij celebratur. Locus autem in quo requieſcit his verſibus adornatur:

** Apoſtolorum.*

EPITAPHIVM RICHARDI REGIS

Hic Rex Richardus requieſcit ſceptrifer almus.
Rex fuit Anglorum: Regnum tenet ipſe polorum.
Regnum dimiſit, pro Chriſto cuncta reliquit.
Ergo Richardum nobis dedit Anglia ſanctum.
Hic genitor ſanctæ VValburgæ virginis almæ,
Et VVilebaldi ſancti ſimul & VVinibaldi:
Suffragium quorum det nobis Regna polorum. Amen.

Porrò ſi certum tempus explores ſancti Richardi obitus ex antiquioribus [b] monimentis haud pridem editis inuenies, eum ſubducto numero annorũ eius filiorum aduentus in Vrbem, contigiſſe ſub Gregorio Papa Secũdo. Ex quibus etiam coargues recitatum epitaphium ſcriptum eſſe: ſiquidem citata antiquiora teſtimonia, & ea ipſa, quę ab eorum conſanguinea ſcripta habentur, nunquàm Richardum nominaſſe inuenies Anglorum Regem, ſed Anglorũ nobilem, & prædiuitem. Nam in eis [c], vbi agitur de ſancto VVilibaldo eius filio patri ſuadente peregrinationem in vrbem, hæc leguntur: *Et ne ſolus ex ſuis Chriſti militiæ adſcriberetur: patrem nomine Richardum genere & rebus clarum adijt, eiq; mundi contemptum & peregrinationem ſuadere cœpit, &c.* Quem autem primum inuenerimus ex Germaniæ Scriptoribus haud adeò antiquiorem, qui eundem Richardũ Regem appellat, fuit [d] Philippus Epiſcopus Eiſthetẽſis in vita S. VValpurgis, eiuſdem Richardi filiæ, vnà cum antiquioribus edita monimentis. Porrò de VVillibaldo & VVinibaldo fratribus Anglis diſcipulis ſancti Bonifacij, & poſteà in prædicatione ſocijs mentio eſt in rebus geſtis eiuſdem Bonifacij, quas idem ipſe VVillibaldus ſcriptis eſt fideliſsimè proſequutus. Et de Vualburga, quæ & Vualtpurga dicta reperitur, eſt mentio in epiſtolis eiuſdẽ S. Bonifacij, de quibus ſuperiùs dictum eſt.

b Habetur to. 4. Antiq. lect. per Caniſium collecta.

c Ex to. 4. pag. 706.

d Ex to. 4. pag. 563.

IESV CHRISTI
Annus 751.

ZACHAARIAE PAP. Annus 10. — CONST. COPRO. IMP. Annus 11.

I. SEPTINGENTESIMVS quinquageſimus primus Redemptoris annus Indictione quarta notatus habetur, quo Francorum monarchiæ benè conſulturus Zacharias Romanus Pontifex, Francorum Regnum, quod ſub Regibus Morouingis inertibus, & nouiſsimè ſub Hilderico Stupido periclitaretur, Apoſtolicâ auctoritate in Pipinum Caroli Martelli filium, Carolomanni germanum poſt obtẽtas aduerſus diuerſos hoſtes ſæpè victorias tranſtulit, eumque Regem creat, ipſo Hilderico anno ſequenti detruſo in monaſterium.

De his acturi, in primis quod ad tempus ſpectat, & nam complures auctores in ſuperiorem annum illa referre, cùm vt potiùs id hoc anno factum eſſe credamus, perſuadet vetus Chronicon Francorum à Pithœo nuper editum, temque cùm Aimoinus tradat id factum poſt decem annos, ex quo defuncto patre, ei ſucceſſit in Regni principatum titulo Maioris domus præſentem plane annum deſignat. hæc de tempore. Quod verò ad rei geſtæ ſeriem pertinet, idem auctor narrat verbis iſtis:

II. *Burchardus VVirceburgenſis Epiſcopus, & Fulradus Capellanus miſſi ſunt à Pipino Romam ad Zachariam Papam, vt interrogarent Pontificem, de cauſa Regum qui in illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habebant. Per quos dictus Pontifex mandauit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtas conſiſteret. Dataq; auctoritate ſua iuſsit Pipinum Francorum Regem fieri. Hic autem ſecundùm Romani Pontificis ſanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad huius dignitatem honoris vnctus ſacra vnctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi & Martyris, & more Francorum eleuatus in ſolium Regni Sueſſionis ciuitate,* hæc auctor.

Quod autem ad miſſam legationem à Pipino ad Zachariam Pontificem per Burchardum Epiſcopum atque Fulradum pertinet, de ea mẽtio eſt in Burchardo ex Egilvardo monacho. Porrò citatum ſuperius vetus Chronicon, non vno eodemque anno hæc geſta ſcribit: ſed hoc anno contigiſſe legationem à Pipino ad Romanum Pontificem miſſam, ſequenti verò Zachariam Pipino de ea re Pontificium decretum miſiſſe in Gallias, & reliqua ritè peracta fuiſſe, adeò vt nomen Regis tantum anno ſequenti Pipinus fuerit conſequutus: quod exploratum quoque redditur ex epiſtola Zachariæ Pontificis data hoc anno ad Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, in qua non Rex, ſed Princeps, vtcunquè, idem Pipinus cum alijs appellatur, de qua modo dicendo agendum.

Contigit enim hoc anno legari Romam ab eodem ſancto Bonifacio ad Zachariam Pontificem Lullum presbyterum, ob nonnullas Eccleſiaſticas conſultationes, necnon ob impetranda priuilegia Eccleſiæ Moguntinæ, & Monaſterio Fuldenſi, quæ ſic ſe habent.

Reuerendiſsimo Patri & dilectiſsimo domino, cum timore & tremore venerando Apoſtolicæ Sedis infulâ ſublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus ſeruus veſter, licèt indignus & vltimus, tamen Legatus Germanicus deuotiſsimus, optabilem in Chriſto ſummæ conſtabilis caritatis ſalutem.

Paternæ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, vt hunc presbyterum meum, portatorem litterarum præſentium, nomine Lul, grato animo clementer ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea, quæ ſoli pietati veſtræ profiteri debet, quædam quidem vivâ voce dicens, quædam verò per litteras oſtendens. De quibuſdam namque neceſſitatibus meis inquirere & interrogare, mihiq; Paternitatis veſtræ reſponſum & conſilium ex auctoritate ſancti Petri Apoſtoli, ad ſolatium ſenectutis reportare debet, vt his omnibus auditis & conſideratis ſi qua ſint quæ vobis placeant, [*] facta, Deo auxiliante ſtudeam. Si quid autem (quod timendum eſt) diſpliceat: ex præcepto ſancti Apoſtolatus veſtri, vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam perſoluam.

Anteceſſor enim prædeceſſoris veſtri venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus miſit, ſacramento me conſtrinxit, vt canonicis & iuſtis Epiſcopis & presbyteris, in verbo, in facto, in conſenſu adſtipulator & adiutor forem. Quod cum diuina gratia implere ſtuduit: falſos tamen ſacerdotes hypocritas, & ſeductores populorum, vel corrigerem ad viam ſalutis, vel declinarem, vel abſtinerem à communione ipſorum. Quod ex parte ſeruaui, & alicubi implere non potui. Spiritualiter autem impleui ſacramentum: quia in conſenſum & conſilium illorum non venit anima mea, dum veniens ad Principem Francorum, cogente Eccleſiarum neceſſitate, & tales ibi reperiſſem, quales nolim, ſed tamen in ſancta communione Corporis Chriſti illis non communicaui.

Præ-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN